



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 77. Sabellici liber de Historia universali

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XVI Imperio parebant, Christi fidem propaga-  
A. C. 1504. ret: quapropter pro viribus adlaborabat,  
 ut in illis fidei Orthodoxæ semina jaceren-  
 tur, quæ etiam feliciter sparsa fuere in  
 Africa, Asia, atque in illa mundi pla-  
 ga, quæ America dici cæperat: præci-  
 pue vero studium suum convertit in Con-  
 gi Regionem, quæ, ut supra memora-  
 vimus, anno salutis millesimo quadrin-  
 gesimo octogesimo quarto detecta fuit,  
 ad hanc ergo isto anno multos Viros  
 Apostolicæ pietate, ac scientia conspi-  
 cuos misit, qui gentem illam tam in fide  
 suscepta confirmarent, quam uberius in  
 Religionis veritatibus instruerent: ut ve-  
 ro Congenses incolæ mechanicas etiam  
 artes edocerentur, multos, eosque pe-  
 ritissimos artifices eo destinavit, qui om-  
 nes summa veneratione, ac humanitate  
 excepti fuere.

## §. LXXVII.

*Sabellici liber de Historia universali.*

*Paul. Jov. elog. cap. 42.*  
*Vossius de hist. Lat. l. 3.*  
*Philipp. de Bergam. lib. 16. suppl. chron.*  
 Ad hunc usque annum Sabellicus Hi-  
 storiam suam perduxit in septem E-  
 neades, seu sexaginta tres libros divi-  
 sam. Is Marcus Antonius Coccius Sa-  
 bellicus nominabatur, in quodam muni-  
 cipio Italix oppido natus haud procul  
 ab Autone, alias *Vico-Varrone*, in Re-  
 gione veterum Æquicolarum. Nonnulli  
 illum

illum ex nobili Cocceiorum familia in <sup>sæcul. XVI.</sup> A. C. 1504.  
 Æquicolis ortum volunt, quem tamen A. C. 1504.  
 Paulus Jovius pauperis Fabri ferrarii fi-  
 lium fuisse testatur. Ceterum assiduam  
 literis operam, vigilesque curas sacra-  
 bat, quibus sub Pomponio Læto, & Do-  
 mitio Veronensi Magistris plurimum Ro-  
 mæ sese excoluit. Porro eo primum  
 se contulerat, postquam aliquamdiu Ti-  
 buri puerorum institutione vitam susten-  
 tasset: Ab eo autem temporis puncto  
 Cardinalis Bessarionis Bibliothecæ Præ-  
 fectus, non sine magna nominis sui fa-  
 ma Venetiis literas docuit, minus ta-  
 men celebrem se reddidit lucubratione,  
 qua res Venetorum conscribere jubeba-  
 tur; quippe præter dictionem nimis hu-  
 milem, historiam suam indignis adula-  
 tionibus foede contaminavit, tandem  
 ferme Septuagenarius mortuus dicitur  
 ex lue venerea die decima octava Apri-  
 lis anno Christi millesimo quingentesimo  
 sexto, nulla prole præter Nothum filium  
 relicta. Historiam suam a creatione mun-  
 di usque ad currentem annum perduxit,  
 præter quam extant adhuc alia ingenii  
 sui monumenta, inter quæ recensentur  
 tres libri de situ urbis Venetæ, decem  
 exemplorum libri, liber de Magistratibus  
 Venetis, aliaque varia opera anno mil-  
 lesimo quingentesimo sexagesimo in qua-  
 tuor majoris formæ voluminibus impressa.

N n 3

§. LXXVIII.